

CICERŌNIS ŌRĀTIŌ IN L. CATILĪNAM PRĪMA

4 **Q**uō ūsque tandem abūtēre, Catilīna, patientiā nostrā?
quam diū etiam furor iste tuus nōs ēlūdet? quem ad
finem sēsē effrēnāta jactābit audācia? Nihilne tē nocturnum
præsidium Palātī? nihil urbis vigiliæ? nihil timor populī?
nihil concursus bonōrum omnium? nihil hic mūnītissimus
habendī senātūs locus? nihil hōrum ōra voltūsque mōvērunt?

8 Patēre tua cōnsilia nōn sentīs? Cōnstrictam jam hōrum
omnium scientiā tenērī conjūrātiōnem tuam nōn vidēs? Quid
proximā, quid superiōre nocte ēgeris, ubi fueris, quōs
convocāveris, quid cōnsiliī cēperis, quem nostrum ignōrāre
12 arbitrāris?

Ō tempora, ō mōrēs! Senātus hæc intellegit; cōnsul
videt. Hic tamen vīvit. Vīvit? immo vērō etiam in
senātum venit, fīt pūblicī cōnsiliī particeps, notat et dēsīgnat
16 oculīs ad cædem ūnumquemque nostrum. Nōs autem fortēs
virī, satis facere rei pūblicæ vidēmur... sī istius furōrem āc tēla
vītēmus. Ad mortem tē, Catilīna, dūcī jussū cōsulis jam
prīdem oportēbat, in tē cōferrī pestem, quam tū in nōs
20 omnēs jam diū māchināris.